



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLIX. De Prudenti Cura Animarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

tionem mori possis. Neque grave sit, ita semper vigili oculo in obsequijs stare, & Dominum expectare, breve enim omne hoc tempus est, quo DEO servimus; quando autem ipse faciet nos discumbere, & transiens ministrabit nobis, tempus illud æternum est. Quis ergo pro æterno Ministerio Domini non præstet illi Ministerium temporale? Hanc continuam Vigilantiam in Obsequijs Domini, & præparatam Adventus illius expectationem, declarat Christus alia similitudine. v. 39. *Hoc autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Adeoque in illam horam etiam paratus esse debes, quâ non putas te moriturum. Neque enim per verba illa: *Non putavi*: negligentiam præparationis excusabis, sed potius accusabis.

MEDITATIO CCCLIX.

De Prudenti Cura Animarum.

LUC. 12. v. 41.

PUNCTUM I. Postquam finiêrat Parabolam de præparatione continua ad mortem: *Ait ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc Parabolam, an & ad omnes? Dixit autem Dominus* (non directè respondendo, sed subiungendo Parabolam specialem ad Discipulos, & ad eorum in Cura Animarum gerenda successores, indicans, priorem non fuisse specialem ad Discipulos, sed generalem ad omnes; quia nemo scit horam mortis suæ, & quisque pro omni hora debet esse paratus)

Quis

*Quis, putas, est Fidelis Dispensator & Prudens, quem constituit Dominus super Familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille Servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit sic facientem. Beatus nempe, qui hominibus Prædicationis, Directionis, Gubernationis, curæ commissis, tritici, id est, Verbi Divini, instructionis, directionis, admonitionis, correctionis, reprehensionis &c. debitam mensuram præstiterit, & suo tempore præstiterit: & neque fuerit nimis parcus, ac remissus, ut neglexerit dicere, aut facere ea, quæ debuisset facere, aut dicere: neque nimis prolixus, aut severus, ut multitudine, vel sublimitate dictorum, capacitatem Auditorum superaverit, patientiam fregerit, rerum difficultate terruerit, nimia admonitione, reprehensione, castigatione irritaverit, vel alienaverit &c. Utroque enim modo, si scilicet vel non det, quod, & quantum debet; vel nimium det, & quasi dilapidet, non meretur aliquis laudem, ac præmium Dispensatoris Fidelis, & Prudentis sive Discreti: sicut etiam, si non dat suo tempore, quo scilicet Auditor est dispositus & indigus, ut recipiat sanam Doctrinam, aut rectam Disciplinam. Quale autem Præmium Fidelis & Prudens Dispensator, aut quale supplicium infidelis & imprudens recipiat, denunciavit Christus sequentibus verbis. v. 44. *Verè dico vobis, quoniam super omnia, quæ possidet, constituet illum (in Cælo per Visionem Beatificam se totum illi communicando) Quòd si dixerit Servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire: & caperit percutere servos & ancillas (id est, quocumque modo offendere, ac lædere graviter) & edere, & bibere, & inebriari (id est, potestate sua abuti ad voluptates & honores) venit Dominus**

minus servi illius in die, quâ non sperat, & horâ, quâ nescit, & dividet eum (separabit nimirum à se, & à Societate Sanctorum) partemque ejus cum infidelibus ponet. Nempe haud aliter, quàm is, qui non crediderit, condemnabitur. Id, quod de Fideli Dispensatore dictum est, aut de infideli ac imprudenti, etiam continget Servo bono, & Fideli; aut econtrâ servo nequam, si non suo tempore, & justâ mensurâ debita obsequia reddat Domino, ac Discretionem utatur: ideo *In omni oblatione tua offeres Sal. Levit. 2. v. 13.*

PUNCT. II. Ulteriùs Discipulis suis, tanquam majorem notitiam Divinæ Voluntatis habentibus, pro responsione ad Petri quæstionem Christus dixit *v. 47. Ille autem Servus, qui cognovit Voluntatem Domini sui (sicut maximè Religiosi, & in Rebus Asceticis versati agnoscunt) & non preparavit (scilicet seiplum ad faciendam Voluntatem Domini) & non fecit secundum Voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit (cognitione tam clara, ac perfecta, vel qui minus culpabiliter ignoravit) vapulabit paucis.* Tu ergo, qui Divinorum Præceptorum, & gravitatis peccati satis claram notitiam habes, tantò amplius caveas Voluntatis Divinæ transgressionem.

PUNCT. III. Pergit Christus ad Apostolos, & ad eos, qui similia Talenta, ac media propriæ & alienæ Salutis procurandæ acceperunt, loquens: *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: Et cui commendarunt multum (ut Curatoribus Animarum, & Superioribus) plus petent ab eo.* Ne ergo esto velut servus nequam & piger, qui Talentum suum in sudario abscondit; sed ad propriam Perfectionem secundum datam Gratiam exardesce, & Zelo flagra

X

ad

322 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,*
ad alios DEI Amore inflammandos. Ideo subiunxit
Christus. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid vo-*
lo, nisi ut accendatur?

MEDITATIO CCCLX.

In Sabbato Mulier Contracta

sanitati restituitur. Luc. 13. v. 10.

PUNCTUM I. *Erat autem docens in Synagoga eorum Sab-*
batis. Et ecce Mulier, quæ habebat Spiritum infirmita-
tis (id est, infirmitatem à malo Spiritu causatam, ut
dicitur v. 16.) Annis decem & octo; & erat inclinata, ut
poterat sursum respicere. Luc. 13. v. 10. Misericordes hæc
Muliere sunt, quorum voluntas ita est inclinata ad
bona terrena, ut eadem semper desiderent, in omni-
bus actionibus intendant, & mentem inter orandum
vel operandum nunquam vel rarò ad DEVM elevent
quibus dici potest: *O curvæ ad terras Anima!* An non
plus, quàm octodecim annis mens tua tali modo est in-
clinata? Adverte autem remedium à Christo adhibi-
tum: *Quam cùm videret JESVS, vocavit eam ad se, &*
ait illi: Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit il-
li manus, & confestim erecta est, & glorificabat DEVM.
Sic, quando Christus vocat aliquem ad se, nempe ad
Vitam Religiosam, vel ad Recollectionem animi per
Exercitationes quasdam Spirituales, & quando ma-
num imponit, dando auxilia Gratix, conferendo Be-
neficia, infligendo pænas, erigitur animus, ut sur-
sum respiciat, per Orationem & bonam Intentionem
mentem elevet, & per Aspirationes ad DEVM Con-
versatio ipsius in Cælo sit.

PUNCT